

52680 ORATIVNCVLA

In funere

SPECTATISSI-
MI ET CONSULTIS-
SIMI VIRI Dñ. CASPARI DREL-
LINGII Prætoris hujus vrbis

bene meriti deproperata

à

M. HERMANNO SAMSONIO

*Symmista & Reipub: littera-
rie Ephoro.*

Seneca epistol: 78.

*Quomodo fabula, sic & vita: non quam
diu, sed quam acta bene, refert.*



RIGÆ Livonum,
Typis NICOLAI MOLLINI.

M. DC. X.



Uod de urbe Romà

olim ad Constantinum Imperato-
rem Hormisda Persarum rex dixisse
fertur: florentissimam quidem eam,
sitūq; Naturā ac descriptione ad-
ficiorum & pulchritudine nobilissimam esse: Sed in eā
tamen perinde ac in obscurissimo oppidulo Homines
mori: id de nostrā patriā RIGA Viri cuiuscunq;
conditionis Spectatissimi non ineptē usurpari potest.
Esi enim illa Livonia totius est metropolis, omnium
incolarum in his concatenatis bellorum motibus asy-
lum, pietatis ac iusticiæ domicilium: tamen hīc quoq;
non secus ac alibi homines funere efferri, omnis ferē
annus, omnis mensis, imō omnis pane dies contestatur.
Quod utiq; pacienter ferri poterat, si eos tantum mor-
tis importunitas occuparet, qui omnis honestatis & vir-
tutis repagula perfringentes, ad ultima malitiæ exem-
plar nihil reliquum faciunt. Verum deteriores ut plu-
rimum sunt incolumiores, neq; optimum quemq; inter
nos fata diurnare sinunt. Exemplum huius rei ac do-
cumentum illustre prabet prator urbis nostræ spectatiss-
simus CASPARVS DRELINGIVS: quem u-
tinam à fatali metā renocare in lucem possemus. Usq;
adeo excellentissimis natura, fortuna, ac animi doti-
bus is locupletatus fuit; Naturæ & fortunæ: quia

parentibus stirpe ac dignitate praelustribus editus in lucem ac profeminatus fuit. Patre quidem **CASPARO DREILINGIO** collegy hujus majoris seniore: Matre vero **ANNA HOLDTHAVSEN** femina pia & modesta: Ano similiter **PAVLO DREILINGIO** anno supra millesimum quingentesimum decimo tertio in senatus societatem cooptato. Hic **PAVLVS** avus nostri pratoris denati Reipub: nostra causa fructuosam legationem ad Ansatias urbes non sine insigni fama & praconio obiit. Et cum constantiam & fidem suam patriae nostrae affatim probasset, ad manus Aedilitium ac tandem ad consulatum supremum honoris fastigium euectus ac sublimatus fuit. Praeterea insignis is Lutherana ac vere Orthodoxa religionis propaganda Zelotes fuit, eumque Zelum quasi paternum canalem in pratorum nostrum transfudit. Ab his parentibus prator noster sanguinem & spiritum sumsit: & jam praetextatis annis superatis adolescentior factus uxorem duxit e nobili familia Neinerorum circa Coloniam in Germania satis nota: ex qua liberos Deo thorum secundante novem suscepit: & stirpem suam ad nepotes, neptes & proneptes sententiam producendo factus est proavus. Tanta scilicet felicitas est bene nasci, ut crebro dixit praestantissimus medicus Fernelius; Verum quia secundum poetam:

perst omnis in illo

Idco

Gentis honos, cuius laus est in origine sola
Ideo animi & dignitatis bona consideremus. Ut enim corpus hominis prius gignitur quam anima censentibus Philosophis: ita etiam de corporis bonis prius agendum fuit. Et quia mens hominis ad intuendam maximarum rerum lucem caligat, nisi mutatio literarum Sole sit collustrata, ideo parentes pratorum nostrum puerulum adhuc Musarum ministerio addixerunt. Proinde in Schola patriae prima pietatis ac literarum incunabula ac rudimenta posuit: hinc ad Academias propter spem uberius profectus ablegatus: atque inde rediens annis non ita multis exactis propter eruditionis, modestiae, humanitatis ac pietatis dona ad senatoriam dignitatem euectus fuit: cujus lumine integros viginti septem annos resulsit. Sollicitudines uel dignitates senatorias minores consecutus est omnes, quas honestissime pariter & fidelissime gessit. Cum primis vero praturam quinquennalem ad ministravit, & plurimas litium civilium tricas expedijt & dissoluit. Tam singularis certe exempli viro orbat sumus, qui in praelustri Senatorio theatro ab una dignitate ad aliam quasi per gradus ascendit: cujus vita in plures certe annos proterminanda fuisset. Nostri utique judicavimus officij esse, pio seni & bene merito pratori bene precari, ejusque nomen, quod alioquin satis illustre est, vinacium etiam chartarum beneficio posthuma Fama inferere.

A 3

Unia

» *Vivit ille jam civis & incola illius Reipub: cuius ipse*
 » *DEus (ut Scaliger habet exere: 365.) sol sine occasu &*
 » *sine ortu: per petuitas sine momentis: presens sine lapsu:*
 » *satietas sine fastidio: desiderium sine defectu: Trium-*
 » *phus sine bello: laticia sine gestu: scientia sine discipli-*
 » *na: finis & principium utroq; carens: neutrius egens:*
 » *utrumq; parens atq; auctor. Vivit inquam ille, ubi*
 » *participatio sine invidia: collocutio sine sermone: col-*
 » *latio sine decessione: receptio sine accessione: quies sine*
 » *motu: Intellectio sine ratiocinatione: Ubi omnia sunt*
 » *in omnibus ab uno non ab omnibus: Ubi omnes sin-*
 » *guli sibi, alteri alteris, unum in uno. Nos in malo-*
 » *rum hoc contactu duro in certamine constituti auro-*
 » *menta inter servitutis & vitiorum exulamur, & cum*
 » *angore ac languore lucem ac libertatem illam caelestem*
 » *opperimur: Que ut nobis in timore Domini ac con-*
 » *stanti fide contingat, ex animo precor.*



ELEGIA LVGVBRIS

RIGA urbs fle, fle curia, flete & amici
 Flete perit vobis gloria laus & honor.
 Ecce perit dignus vita vir clarus in vrbe,
 Iulta inopinati causa doloris adest
 Vestibus ite viri luctum profitentibus, atris
 Et flete officio publica damna pio.

Proh

Proh dolor, hæc meta est nostrorum summa laborum
 Hacne omnes miseri conditione sumus?
 Sic ruit, inmotus qui stare putatur, & idem
 Sole rubente calet, sole cadente riget
 Nil probitas, nil forma juvat, nil pectoris ampla
 Munera, nil lethum robur opesve timet
 Parcere nec puero, juvenem neq; parcere novit
 Parca, virum pariter demerit atq; senem.
 Nec generis splendor, veterum nec stemmata patrum
 Lethifera illius spicula fugare valent
 Nam DRELINGIADVM genus, atq; insignia gentis,
 Et qui virtutem nesciat, ecquis erit?
 Ipse parens generis patriæ tractavit habenas
 Consul, honoratum nactus in vrbe locum
 Cui bene pro meritis bene sub tumulo esse precantur
 Et bona persequitur nunc quoq; fama virum,
 Defunctus nulli ast virtute fideq; secundus
 Audire hic Prætor, postea Quæstor amat
 Maximus ipse DEVS, varijs hunc condecoravit
 Dotibus ingenij, ut cuiq; videre fuit.
 Iudicis officio multis dum præfuit annis,
 Insticiæ cultor verus et ipse fuit.
 Veri semper amore flagrans vir rite studebat
 Hic prodesse bonis, nemini obesse volens
 Præstitit exemplar veræ pietatis in vrbe,
 Et vitæ innocuæ cum gravitate pari.

Sed

Sed statuae, veterum profunt quid stemmata patrum,
Gloriaq; egregijs lausq; parata viris?
Quid patrius quid avitus honor juvat? omnia mundi
Vnica sub leges mors vocat atra suas.
Ergo jaces Patriæ decus o præclare Senator,
Musarum ac fautor, gloria summa tuis?
At conjunx dulcis, Liberi & vos ponite fletus,
Nam lacrymis vultum nil lace rasse juvat
Quid lacrymas fundis tuq; o Clarissime Doctor,
Quidve tuum desles cum genetrice patrem?
Crede, quod id Iovæ placuit, sine Numine cuius
Ne passer levis est aere lapsus humi.
Ac reliqui fati rapti qui sanguine juncti,
Tristia solando corda levate pie
Pectora ne rodant mceror, constringite curas,
Absit atrox luctus, funereusq; dolor.
Nam primos inter coetus pia corda gerentes,
Ætheris in pura luce beatus agit:
Tergeminumq; DEum Majestatemq; verendam
Aspicit, æternis perfruiturq; bonis
Vita defunctos pro voto cernit ibiq;
Per charos omnes semper adesse tibi
Salve igitur civis coeli, salve incola & hospes
Inq; sinu Christi gaudia vera cape.

M. JOACHIMVS RIPPVS.